



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus VI. Fides.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

TITULUS V. FIDELITAS.

DEI in promissis.

Sed & clavos fecit aurios. 2. Paral. 3. 9. Et 3. Reg. 6. 21. & affixis laminas clavos aureos. V. Beda l. de templo c. 12. clavi aurei, quibus erant affixæ laminæ, ipsæ sunt promissæ æternæ claritatis; per quæ in exercitio, studioque virtutis, ne deficiamus, donante Christi gratiâ continemur.

Semel loquitur DEUS, & secundò idipsum non repetit. Job. 33. 14. Quomodo verum est, quòd Semel loquatur DEUS; cùm sæpius verba fecerit, tum per seipsum, tum Prophetas? S. Hieronymus hic: quod ait semel, non ad numerum referendum est, sed ad sententiæ firmitatem. Quia DEUS promissâ ita semper exequitur, ut iterum promittere non sit opus. Pinna in Eccl. Ethol. 261.

Audi filia, & vide. Pl. 44. 11. Audi prædicta; vide completa. S. August. s. 31. de Verb. Dom. q. d. tanta est certitudo promissorum Dei; ut dictum, & factum, simul videatur. Pinna in 4. Eccl. Ethol. 59.

Transferunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Pl. 104. 13. Loquitur hic de Abraham, Isaac, & Jacob. Nondum in terra Chanaam regnabant; quomodo ergo de regno transferunt ad populum alterum? quia illis promissum. S. Chrysost. hom. 46. in Gen. neque ita fidere debemus his, quæ in manibus habemus, & videmus, ut promissionibus DEI; etiam si non eveniant statim primò tempore. Bæzat. 2. l. 9. c. 3. §. 13.

Hæreditate acquisitos testimonia tua. Pl. 118. 111. id est, verba DEI. Quis amicorum verborum hæredem scribit? quid enim pro sunt hæredi sola verba? Cur ergo David gloria-

tur, se hæredem verborum? sunt verba DEI; quæ tanti valent, quanti res ipsæ, quas verba notant. Id. ibid.

Principium verborum tuorum veritas. Pl. 118. 160. Homines plerumque promissis non stant: quia verba non proferunt eâ intentione, ut opere impleantur. Secus in DEO; apud quem promissio originem ducit ex veritate, & animò ea implendi. Pinna in c. 4. Eccl. Ethol. 59.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Pl. 144. 13. Hæc vox sanctus, non solum rem sanctam & religiosam; sed etiam firmam, stabilem, significat. Didacus Niss. f. 2. post Resurr.

Viso Isara. Il. 1. 1. Cur ea, quæ DEUS in aurem loquitur Prophetis, visio sapienter vocatur? quia certa fides, & promissorum veritas DEI; ac si oculis jam videres præsentia. Pinna in c. 4. Eccl. Ethol. 59.

Die verbò, & sanabitur puer meus. Matth. 8. 8. Pollicentem videam, & optata consequar. S. Basilus Seleuc. orat. 19.

Acceptit eum in ulnas suas. Luc. 2. 28. Plus accepit, quàm ei fuit promissum, Christum videre. Et jam non solum vidit; sed brachiis strinxit, portavit, & contrectavit; imò & osculatus, dulcissimum infantem. Dionysius Carthul. hic.

Promissiones DEI multò certiores sunt, quàm quæ in nostris sunt manibus. S. Chrysost. de Nomine Abram.

Nonne homo homini exigua chartulæ obligatione constringitur? DEUS tot, & tantis, voluminibus caret; & debitor non tenetur. S. Chrysologus f. 25.

TITULUS VI. FIDES.

§. I.

Figura, Symbola.

Ex Veteri.

Dixit DEUS fiat lux. Gen. 1. 3. Tunc autem in hominē dicitur, ut lux fiat; cùm datur, ut illuminatio sibi credulitatis infulgeat. Prima quippe mentis lux, fides est. Unde jam Fidelibus dicit Apostolus Eph. 5. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Tunc ergo in hominē primus dies fit; cùm novus ad fidem venit. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 5. *Dixit DEUS fiat lux:* id est, illuminatio credulitatis apparebat. S. Isidorus hic. 2. Cor. 4. 6. DEUS, qui dixit, de tenebris lumen splendescere ipse illuxit in cordibus nostris, scilicet per fidem. Sit fides nobis quasi

dies primus, quò Fideles ab Infidelibus, quasi lux à tenebris, separamur. Ælredus Abb. Per firmitamentum intelligitur visio fidei: fides enim reddit sublimem animam intellectivam; quia transcendit omnem rationem, & investigationem, rationis. S. Bonaventura f. 8. de sublimitate fidei, reddit stabilem; quia excludit dubitationem: reddit spectabilem; quia multiformem ostendit claritatem. Id. ib.

Et facta est lux. Gen. 1. 3. Fides est sicut lux primò creata: nam sicut illa primum opus in majori Mundo; hoc est, in corde humano. S. Bonaventura dicit. sal. c. 26. de fide.

Per noctem in columna ignis. Ex. 13. 21. Fides, est viva, fida, & salutaris, columna; deducens per desertum hujus Mundi. S. Laurentius Just. lib. virt. fidei c. 5.

Aurum, & argentum, & es &c. Ex. 25. 3. Fides auro conferri potest; sermo prædicationis ejus argenteo. Origenes hom. 9. de Tabernaculo.

In vestitu deaurato circumdata varietate. Pl. 44. 10. Vestitus Regina hujus quis est? Et pretiosus est, & varius est. Sacramenta doctrinae in linguis omnibus variis. Alia lingua Africa, alia Syra, alia Græca, alia Hebræa, alia illa, & illa. Faciunt ipsæ linguæ varietatem vestis hujus Reginae. Quomodo autem omnis varietas vestis in unitate concordat; sic & omnes linguæ ad unam fidem. In ipsa autem varietate aurum quod est? ipsa Sapientia. Varietas in linguis, aurum in sententiis. S. August. hic.

Si ascendero in cælum, tu illic es &c. Pl. 138. 8. Qualiter Propheta in corpore constitutus, vel in cælum ascensus erat, vel in infernum descensus? vel trans ultima maria perrecturus? Quas habet pennas? alas fidei mentis credentis affumit. S. Gaudentius tr. 14. de divers. capitulis.

Collum tuum sicut monilia. Cant. 1. 9. Fides scilicet est, & esse debet, ex bonis operibus, tanquam ex margaritis, ornata. Simon Cass. l. 8. c. 40. v. 20.

Per noctes quasi &c. Cant. 3. 1. id est, per Philosophicas rationes; quæ parum, vel nihil, luminis habent, respectu luminis fidei; per quod solum Deus videtur in præsentia. Vel per noctes, id est, per creaturas, quæ ex se, & in se, tenebræ sunt, & obscuræ; & nihil luminis habent, ut nox. *Et non inveni:* quia fides ex auditu. Hugo Card. hic.

Collum tuum sicut turris eburnea. Cant. 7. 4. Verè fides collo; collum turri simile dicitur; ut & fides ad similitudinem turris esse dicatur. *Edificatur turris ad prospectandum a longè;* atque quantum potest, reclusione in altum erigitur: ut, quæ de planitie atque subiectis domibus, non videntur; de altitudine turris videantur. Nam neque de planitie naturali, neque de ratione alicujus artis, videntur, quæ de fidei culmine conspiciuntur. Videt ergo fides, quæ infinitis, & invisibilibus, spatiis distat à natura. Nec non ad tutamentum turris edificari cognoscitur. Ad tutamentum omnium nostrum Christus fides aedificium fecit. Simon Cass. l. 8. c. 40. v. 20.

Ex Novo.

Vidimus stellam ejus. Matth. 2. 2. Stella hominis fidelis est fides, præcepta, consilia Evangelica; ductusque sanctæ Dei inspirationis. Cornelius hic.

Ascendit fides in montem. Matth. 5. 1. Si vis & tu benedictionem à Domino accipere; relinque terrenam conversationem, pete vitam supernam. Ascende in altitudinem fidei, tanquam montem; ut benedici à Domino jure merearis. S. Chromastus conc. de octo beatit.

Si tenueris, salva ero. Marci 5. 28. Illi CHRISTUM Redemptorem spiritualiter tangunt, qui in illum credunt. Qui autem Christum verè tangit, is illum ad clementiam, &

Polyanib. Sacr. Tom. I.

miserecordiam, allicit. Victor Antioch. hic. Tangitur Dominus fide. Hugo Card. in Luc. 10.

Aut piscem; nunquid pro p'sce serpente dabit? Luc. 11. 11. Sicut piscis bonus bona est fides: quam qui petit à Domino, nequaquam serpentem infidelitatis accipit. Ita & piscis nequam, infirma est cogitatio, quæ curis hujus mundi se ultra modum solet immergere. V. Bedal. 3. c. 36.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Luc. 11. 34. Optimum rationis lumen est fides; quæ inter potentias animæ solum in ratione statuit sibi sedem. Simon Cass. l. 7. c. 6.

Respice. Luc. 18. 42. Fides oculus est mentis humanæ, quò divina, & quæ supra naturam sunt, & sunt, possumus contueri. Simon Cass. l. 5. c. 32.

Ascendit in arborem. Luc. 19. 4. Hæc arbor fides est, quia inde erat transiurus. Hæc enim viâ, & juxta hanc fidei arborem, transit Jesus. S. Eusebius Emis. in Dedic. Eccl.

In arborem Sycomorum. ib. Per Sycomorum, quæ ficus sativa appellatur, intelligitur emittentia fidei; quæ stulticia esse videtur. 1. Cor. 1. 25. In hujus stultitatis credulitatem oportet confondere eum, qui vult ad Sapientiam pervenire. 1. Cor. 3. 18. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat.* S. Bonaventura hic.

Per fidem ambulamus. 2. Cor. 5. 7. Pes animæ fides est. Tantum vadis, quantum credis. Credis multum; curris velociter: parum credis; remisit ambulat. S. Laurentius just. in fasciculo amor. c. 15.

Stella matutina. Apoc. 2. 28. est fides, & Scientiæ donum; quæ præcognoscimus ea, quæ in cælo visuri sumus. Joachimus Abbas apud Sylveiram hic.

Mulier amicta Sole. Apoc. 12. 1. Ecclesia est amicta Sole, scilicet Christo, ex claritate fidei, quam ipse prædicavit. *Luna;* id est, scientia Philosophiæ, *sub pedibus ejus,* & non super caput; quia in factis fidei nullus debet se regere per Philosophiam. *Et in capite corona stellarum duodecim;* id est, duodecim articulis fidei fabricata. S. Vincentius Ferrer. f. 13. de coronis.

Ex Patribus, & aliis.

Omnia opera tua bona, filii tui sunt spirituales; sed inter hos tibi primogenita est fides. S. Augustinus fragmento 2. de Decal. ad pop.

Ignitum sæpe telum, turpis voluptatis concupiscentia, à diabolo emittitur; sed fides subiciens menti judicium, & refrigerans mentem, extinguit telum. *In omnibus sumentes scutum fides,* Eph. 6. 16. S. Cyrillus Jerol. Catech. 5.

Aded potens est fides, ut eos etiam, qui super mare ambulant, leves efficere potuerit. Petrus, dicente Jesu *veni* Matth. 14. 29. credens ambulavit super aquis; omni fundamentò firmiorem super aquis habens fidem; & gravitatem corporis levitate fidei atollebat. Id. ib.

Ecc e 2

Sicur

Sicut membra tremula, & senectute languida, baculo tuto deducunt, labi. & cadere, non permittuntur; sic etiam animam nostram, incertis ratiocinationibus circumactam, ac jactatam, fides quovis baculo tutius suscitans, itaque vi reficiens, summo opere firmat; nec sinit subverti. S. Chrysost. serm. de Verb. Apost. tomo. 6.

Fides comparatur speculo mundo: quia sicut turris magna in modico speculo cernitur; sic Majestas, & magnitudo divina, in speculo fidei representatur. S. Bonaventura dicit. sal. c. 26. de fide.

Quisquis perfecte credit, lapis est templi Dei; lapis est solerti apparatu levigatus, & exaquatus in substructionem DEI Patris. S. P. Antiochus Abb. hom. 1. de fide.

Dies Clara est fides, quando est sine errore: habet duodecim horas, scilicet duodecim articulos fidei. S. Vincentius Ferrerius f. 6. post Latere.

Fides pupilla est oculi tui. Quomodo pupilla oculi est subtilissima; & nisi impigre, ac sollicitè, custodiatur à palpebris; levissimi, ac tenuissimi, pulveris tactu confunditur: sic acies fidei; nisi pervigilem semper habeat custodiam, nihil citius conturbatur. Drogo Ost. de Sacr. Pass.

Genius circinò faciens circum. Lem. *Stans uno capite omnia puncto. Stans in uno Spiritu unanimis, collaborantes fidei.* Philipp. 1. 27. Hesius.

S. II.

Fides prævia, est necessaria ad visionem beatificam.

Ex Veteri.

Non est in loco nostro consuetudine, ut minores ante tradamus ad nuptias. Gen. 29. 26. Duas filias habet DEus, id est, duas Ecclesias; triumphantem, quæ est pulchra Rachel; sed sterilis est, quia ibi merendi locus non est: altera militans, lippha Lia; quia nihil hic rerum divinarum, & spiritualium, videmus, sed tantum credimus. Est tamen fecunda, & plurimos parit filios. Prius Lia nubere debemus, id est, in fide vivere; tunc Rachele fruemur. Diez conc. 3. festo Expectat. part. B. V.

Audi filia, & vide. Pl. 44. 11. Videre desideras, sed audi prius: gradus est auditus ad visum. Proinde audi, & inclina aurem tuam; ut per auditus obedientiam pervenias ad gloriam visionis. S. Bernardus f. 4. in Cant. *Auditui meo dabis gaudium, & latitiam.* Pl. 50. 10. Si audis per fidem, statim dicetur tibi; vide per intellectum. Sylveira in Luc. 2.

For dilecti mei. Cant. 2. 8. Prius percipimus vocem Sponsi, quæ fidem per auditum generat; & postea ipsum per contemplationem intuemur. Ob id Sponsa dicitur Pl. 44. 11. *Audi filia, & vide.* Prius audi, & post videbis. Et Job. 42. 5. de se: *Audit auris audi vi te; nunc autem oculum meum videt te.* de Ponte hic Exh. 1. §. 1.

Ex Novo.

Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt. Matth. 5. 8. Sed unde veniet hæc cordis munditia, nisi à fide? Unde Paulus Act. 15. 9. *& illos fide purificans corda illorum.* Baeza t. 2. l. 10. c. 1. §. 5.

Secundum fidem vestram fac vobis. Matth. 9. 29. Fides viatorum in patria parit DEI visionem. Requiritur in cæcis his fides, ut iis conferatur visus. Est illuminatio fidei ad gloriam visionis beatificæ, quod Lucifer, five aurora, ad Solem. *Credentes exultabitis letitia inenarrabili.* 1. Petri. 1. 8. Baeza ib.

Beata quæ credidisti. Luc. 1. 45. quia cognitio per fidem inchoatio quadam est cognitionis beatæ in patria; ipsum quoque credere ex charitate meritum est beatitudinis consummata. Sicut enim fructus virtute sunt in semine, sic virtualiter beatitudo nostra continetur in fide. Stella hic.

Videamus hoc verbum, quod factum est. Luc. 2. 15. Vatabl. videamus hanc rem, quæ accidit. Eusebius Gallic. hom. in aurora: factum tamen quodammodo est, quia Verbum Caro factum est, quod Dominus ostendit nobis. Videamus corporaliter; & quod mente concepimus, & fide tenemus; restat ut oculis intueamur. Adeo sunt certa, quæ fide creduntur; ut nihil aliud restet, quam ut oculis in beatitudine videantur. Sylveira hic.

Laudantes DEUM in omnibus, quæ audierant, & viderant. Luc. 2. 20. Audierant ab Angelis, viderant propriis oculis in præsepio. Nota ex S. Bonaventura ordinem: *audierant, & viderant*; nisi enim quis per auditum crediderit, non videbit in visione DEI. Et ideo dicitur Il. 7. 9. *nisi credideritis, non intelligetis.* Vulgata: *permanebitis.* Sylveira hic.

Intrantibus illis in nubem. Luc. 9. 34. Non frustra Spiritus S. hic in lucida nube, in Jordane apparuit in columba. Matth. 3. 16. quia qui nunc simplici corde fidem, quam percepit, servat; tunc luce apertæ visionis, quod credidit, cernit. Columba etiam, quæ de terra est, gratiam vitæ præsentis; nubes verò de cælo apprens, gloriam vitæ celestis præfigurat. Dionysius Carth. hic.

Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Joan. 3. 36. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te &c.* Jo. 17. 3. videlicet cognoscant per fidem, quousque unusquisque cognoscat; sicut & ipse cognitus est per explicatam visionem. Et tanta est adhesio fidei Christianæ; ut sps gaudeat, acsi possideat. Simon Cass. l. 3.

Conversus sum, ut viderem vocem. Apoc. 1. 12. S. Ambros. Audivimus extra civitatem, vidimus in civitate; DEUS lumen est æternum. Supra v. 10. ait: *audivi post me vocem magnam*, modò videre vult. Prima significat vocem DEI in hac vita; in qua per fidem audimus vocem DEI. Secunda statum patriæ denotat; in qua anima clarè videt, quæ in via credebatur. Sylveira hic.

Ut

Ut absque elementis non licet vivere; ita nec absque fide non licet absque cognitionem. Clemens Alex. Strom. l. 2.

Fides prælibatio est quadam illius cognitionis, quæ nos in futuro beatos faciet. S. Thomas Opusc. 9. c. 2.

§. III.

Fides obscura.

Pleraque Symbolicè.

V Adam, & videbo visionem hanc magnam. Ex. 3. 3. At Dominus: ne appropies huic. Lyra q. d. humana fragilitas non præsumat arcana Dei inquirere curiosè: quia scriptum est Prov. 25. 27. qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Seraphim & volabant pennis, & oculos operiebant: ut nos docerent, Deo non tam accedendum ingenij acumine, quàm affectionis amore. Naxera in Jof. 24. §. 34.

Sub umbra illius. Cant. 2. 3. Bona fidei umbra, quæ lucem temperat oculo caliganti, & oculum præparat luci. Fides itaque lucem non extinguit, sed custodit. S. Bernardus f. 31. in Cant. Umbra ejus, caro ejus; umbra ejus fides. Mariæ propriè obumbravit caro Filij; mihi Domini fides. S. Bernardus f. 48. in Cant.

Resplenduit facies ejus sicut Sol. Matth. 17. 2. Discipulis non dicitur, ipsum videte; sed, audite. v. 5. quia facies instar solis micabat. Ne ergo radiorum acie obcecetur, auditum præbere jussi. Naxera in Jof. 24. §. 34.

Rabbi, tu es Filius Dei. Jo. 1. 49. Simplex fides eum in ista excelsa provexit. Quem antè putabat hominem purum, nunc DEI Filium confitetur. Cass. l. 9. cap. 9. In quo non erat dolus.

Quanto certius demonstratur argumentum, tantum fidei præmio detrahitur. S. Chrysof. hom. 6. in 1. Corinth. 1.

Nihil fide nostrâ foret injustius, si quidem ea caderet in solos sapientes; ac tum in dicendo, tum demonstrationibus Logicis immodicos. S. Gregorius Naz. orat. 7.

Plittacus, aut alia avis caveæ inclusa. Lem: Si videat, minus illa canet. Non videntes creditis; credentes autem exultabitis latitiâ inenarrabili 1. Petri 1. v. 8. Populus Israeliticus olim dicebat; quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena?

Non ego sic, licet à patribus quoq; sedibus exul,

Caca catenati carceris antra colam.

Canto tamen melius, quàm si non capta viderem

Inter odoratum tecta paterna nemus.

Tange fidem mortalis, habes tua gaudia tecum;

Nec peritura unquam gaudia; tange fidem. Helius.

Oculus ex profunda, & tenebrosa caverna cœlum intuens. Lem: Ex obscuro speculabile cœlum est. Ego lux in Mundum veni; ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. Joan. 12. 46.

Oculi patentem quisquis excipit Mundum,

Videre Cœlum non potest, patet Cœlum

Habitantibus profunda. Per fidem præstant

Videnda, quæ seguis ingeni nulla

Lux possit cohibere. Scire vis causam?

In hominis animo perspicace quantumvis

Malo cum caducis sempiterna miscetur. Idem.

Oculus. Lem: Per cœcum videt omnia punctum. Credite in lucem. Jo. 12. 36.

Hic ubi puncto oculus modicè distinguitur uno,

Et vacuo medius panditur orbiculo,

Rebus iter patet obscurum. Sol ipse videtur

Si velit, hac etiam cogitur ire via.

Quin placidus nivei quo plus micat ignibus aer,

Pupula nigra magis, & minor esse solet.

Usq; adeo natura diem, sibi sumit ab umbris;

Visæque per cœcum lumina ducit iter.

Non est, crede mihi, Sapientis, quarere lucem;

Quando per obscurum plura videre potes. Idem.

Horologium Solare. Lem: Lux ipsam sit nota per umbram. Convertantur à tenebris ad lucem. Act. 26. 18. Deus mirum, nisi obscurâ fide, non cognoscitur,

Umbrâ diem, docet umbra Deum. Quid aperta requiris

Signa, videre Deum si sine luce potes?

Claude oculos natura, Fides jubet; utere nocte.

Plus aliquid plenò nox dabit illa die. Idem.

Oculus humanus vultu velatò per tenuè velaminis rimulam solem intuens: Lem: Hac tui è totusq; videtur. Apparet eis, qui fidem habent in illum: perversæ enim cogitationes separant à Deo. Sapient. 1. 2. 3.

*Videre quisquis illud aureum fidus,
Fubar illud orbis, Numen illud astro-
rum*

Mortalis optas; ora cautus obnube.

Oculi fideli fac tegantur à velo

Pupilla fidum fida spectet in punctum:

*Minimò videri summus ambit, & gau-
des.*

Ille Deus puncto totus mihi sistitur unò;

Exiguò immensus sistitur orbiculò. Id.

*Species per angustum foramen ad tenebricosum
cubiculum inductæ ad chartam candidam. Lem:
Cand. da mens med. a capis omnia nocte.
Felix - incoquinata - habebit fructum in re-
spectu animarum sanctarum. Sap. 3. 13.
dabitur enim illi fidei donum electum.
ibid. 14.*

Mediis in umbris, inq. noctis obscuro,

*Ubi nil videndum est, mira spectat &
puncto*

Sibi annuente charta concipit virgo

Quod ars Apellis exhibere pingendo

*Frustrà laboret. Nocte quisquis in
densa*

Proscriptus astris, prostitutus à calo.

*Aspice, namq. potes, quantillò pervia
punctò.*

*Quot rerum species, quàm speciosa
fluat.*

*Utrq. fluat noctis medium per inane pro-
funda*

*Dum cadis in gremium candida char-
ta tuum.*

*Hic purà natat in tabulà, natat aquare
castò,*

*Quidquid humus veri, quidquid O-
lympus habet.*

*Si vaga, cerulò volvuntur nubila
calò,*

*Hic quoq. picta levis nubila ventus
agit.*

*Sol, quot habet radios, tot habet radiata
papyrus,*

*Innocuas tot habet charta serena fa-
ces.*

*Si qua fecet volucris plaudentibus aera
pennis,*

*Hic similè plaudens remige fertur a-
vis.*

*Ventus agit frondes? tremis hic quoq. fron-
dibus aura,*

*Et pavida cursim ludis in arbori-
bus.*

*Et sit adhuc quæ clara foris spectacula qua-
rat;*

*Cuncta domum certà cum ferat am-
bra fide. Id.*

*Puerulus semiclausò oculò per punctum arcis in
medio collineans. Lem: Punctum via cer-
ta per unum est. Afficientes in auctorem
fidei, & consummatorem. Hebr. 12. 2.*

§. IV.

Fides certa, infallibilis.

*A*ccede huc, ut tangam se fili mi. Gen. 27. 21. Sapiens fuit Isaac, sed tamen er-
ravit in sensibus. Solus habet auditus verum,
qui percipit verbum. S. Bernardus l. 26 in
Cant. Omnes sensus, præter auditum, defe-
cerunt in Isaac; solus auditus, immensus fuit.
*Caligaverunt oculi ejus, & videre non
poterat:* gustus in esu hœdi deceptus est: &
decipiebatur etiam tactus ejus. Solus auditus à
deceptione liber evasit. Unde & ait: *vox qui-
dam vox Jacob est, sed manus manus Esau.*
S. Bernardus t. 2. l. 84.

Misit ancillas suas. Prov. 9. 3. Alie
scientiæ dicuntur ancillæ fidei: quia omnes alie
scientiæ sunt sub intellectu humano; sed fides,
& ejus veritas, sunt supra omnem intellectum
humanum. Sanct. Vincentius Ferr. l. 3. in
Ost. Epiph.

*Quomodo potest hic nobis carnem suam
dare?* Jo. 6. 53. Iesus non edidit modum,
non reddidit rationem; nè infirmaret fidem, quæ
rationibus non fulcitur: quæ si redduntur, fides
ipsa diminuitur, & demitur præmium. Non
queratur à Deo mortalibus modus operum di-
vinorum, nèque ratio factibilium. Simon Cass.
l. 11. c. 16.

Noli me tangere. Joan. 20. 17. Merito
carnem redivivam verbi prohibetur tangere mu-
lier carnaliter sapiens: plus quippe tribuens oculo,
quàm oraculo; id est, carnis sensui, quàm
verbo Dei. *Noli me tangere,* hoc est, dis-
velce huic seducibili sensui; innitere verbo, fidei
assvelce: fides nescia falli. S. Bernardus serm.
28. in Cant.

Tale quid fides est, ut aperiatur etiam sit, &
clarior eà, quæ ex demonstrationibus est, ratio-
ne; magisque, quàm illa, prævaleat. Adeo li-
quidem firma est; ut, etiamsi quavis alià impetu-
ta fuerit ratione; commoveri tamen nequeat. Si-
quidem, qui rationibus persuasus est, potest in-
duci rationibus, ut fluctuet.

Qui verò fide fuerit solidatus; auditum su-
um jam dudum, quasi quoddam circumductò mu-
rò, nè sermonibus perveris inficiatur, stu-
diosè munivit. S. Chrysost. l. 8. in cap. 4.
Rom.

Enervat fides rationes humanas, atque su-
pergreditur planum rationis judicium, intelligen-
tiæ humanæ aspectum: dubieratis tenebras fu-
gat; retrahit hominum mentes ab injustis, &
impijs querelis; adversus justitiam Dei, & mi-
sericordiam; ab insipientibus sæpe procedunt.

Simon Cass. l. 1. c. 25.

§. 5. Si

§. V.

Signa, & motiva credibilitatis.

Quomodo manifestum est, quod meliorem omnibus sub celo fidem nos Christiani credimus? Primum: quod non invenimus ab initio Sæculi gentem aliam inter omnes gentes, tot, ac tantis, temporibus impugnata; & tamen non deletam; præter hanc solam Christi fidem. Secundum: quod nullus rex Christianorum aliquibus barbaris Infidelibus traditus est in mortem; etiam tot nationibus, ac gentibus, adversus regnum bella gerentibus. Quin imò non solum regem non opprimere; sed nec imaginem suam de monetis, & numismatis, delere cum cruce voluerunt. Et hoc ipsum, quod in omni genere creditur Evangelium Christi, est testimonium infallibile, quod non sit alia fides verior sub celo. S. Athanasius Alexandr. Ep. lib. Quæst. q. 40.

Probata Christianorum vita majorem apud multos auctoritatem sibi vendicat, quam signa. Siquidem hæc apud impudentes, & malos homines, malam concitant opinionem: vita autem pura etiam ipsum diaboli os majorem in modum obstruere poterit. S. Chrysostom. hom. 6. in 1. Corinth.

§. VI.

Fidei laudes, fructus &c.

Ex Veteri, & Novo.

Moyse populum ducit per mare siccis tantum pedibus, Ex. 14. 22. non navibus, sed fide pelagus transit. S. Gregorius Niss. lib. de vita Moyse.

Fiat tibi, sicut vis. Matth. 15. 28. Fides tua quidem majora, quam petis, poterat impetrare; verumtamen fiat, ut vis, hæc vox affinis est, quæ dictum est, fiat coelum. Omnia, quæcunque voluit, fecit. S. Chrysost. hom. 33. in Matth. Non dixit, sanetur filia tua; sed fiat, sicut vis. tu eam cura; esto medicus, tibi committio medicamentum, ut imponas ei; voluntas tua curet illam. Idem hom. 17. ex varijs in Matth.

Beati qui vident. Luc. 10. 23. Illud scire convenit, quia videre non significat actum oculorum. Multi enim Judæorum viderunt Christum divina operantem, corporali scilicet intuitu; nec tamen omnibus beatificatio convenit. Beatifici sunt ergo oculi nostri in hoc, quod fide vidimus. Verbum pro nobis hominem factum; imprimens nobis decorem sui nominis; ut nos sibi conformes faciat per sanctificationem, atque justitiam. Didacus Niss. D. 12. Pent.

Ita ad Patrem. Luc. 15. 18. Divinum Patrem, nescit viarum cursu querere: qui fide querens, mox sibi illum invenit esse præsentem. S. Chrysost. l. 3.

Ut omnes crederent per illum. Jo. 1. 7. Cur dixit, ut omnes crederent; non verò scirent, vel cognoscerent? quia peccatum intravit in Mun-

dum per immoderatum appetitum, sciendi bonum, & malum, in primis parentibus. Salus ergo debet intrare per mortificationem ipsius appetitus; captivando intellectum in obsequium fidei & præbendo assensum his, quæ non vident. Sylveira hic q. 34.

Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet. Jo. 11. 25. Unde est mors in anima? quia non est fides in ea. Unde est mors in corpore? quia ibi non est anima. Ergo animæ tuæ anima fides est. Sicut anima corporis, vita est corporis; ita fides animæ, vita est animæ. V. Beda hic.

Ex Patribus, & alijs.

Si non intellexisti, crede: intellectus enim merces est fidei. Ergo noli querere intelligere, ut credas; sed crede, ut intelligas: quoniam nisi credideris, non intelliges. S. Augustin. tr. 29. in Joan.

Cibus verus, & sanctus; & mundus, est recta fides, immaculata conscientia, & munda anima: quisquis sic pascitur, Christo convescitur; talis epulator conviva Dei est. Istæ sunt epulæ, quæ angelos pascunt; istæ sunt menisæ, quæ Martyres faciunt. Tertullianus ep. de cibis Judaic.

Quod est esca carni, hoc animæ est fides. S. Cyprianus de coena Domini.

Oculus, omnem illuminans conscientiam, & intelligentiam efficiens est fides. S. Cyrillus Jerol. Catech. 5.

Unicus DEI Filius, non in spatiois domibus, auratisque laquearibus; sed in fide. Credentium requiescit. S. Gregorius Naz. hom. 2. in Nat. Dom.

Hæc victoria nostra, quæ vincit Mundum, fides nostra. Hæc est, quæ, velut quoddam æternitatis exemplar, præterita simul & præsentia, ac futura, sinu quodam vastissimo comprehendit: ut nihil ei prætereat, nihil pereat, præeat nihil. S. Bernardus l. 6.

Nihil est tam arduum, & tam durum, quod non aggrediatur propter Deum, qui verâ fide credit in Deum. S. Thomas Vill. Serm. in Octava Paschæ.

Nihil difficile est fidei, quæ tantum habet, quantum credit. Sanct. Zeno Ver. l. 3. de Abrah.

Tantæ vivacitatis est fides, ut mortis teporem, quæ mens humana ad salubria moveri non permittit; omnino amoveat: timoris etiam fortissimi, & amoris, motus incitat vel excitat. Unde similis est radio, & calori solari; ejus vigore reviviscunt plantæ, & herbæ, arbores, & cuncta virentia terræ. Similis est radici: nam vitæ radicis, vitæ totius arboris est; quæ, si arefcit, & moritur, tota vitæ arboris perit. Item similis est cordi omnia in corpore vivificant. S. Bernardinus l. 4. A. 1.

Triumphat anima per ardorem fidei contra omnia tentamenta. Unde Apoc. 19. 11. scriptum est: ecce equus albus; &, qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis, & Verax. 1. Joan. 5. 4. hæc est victoria, quæ vincit Mun-

Mundum, fides nostra. Hebr. 11. 33. Sancti per fidem vicerunt regna. Idem ibid. 2. 3.

Unusquisque tantum proficit, & fructificat, quantum credit. Victor Antioch. ad c. 5. Marci.

Tunc cuique nostrum quasi recens Christus occiditur, cum credit occisum. S. Bonavent. in c. 15. Lucae.

Radix bonorum fides; sine qua impossibile placere Deo. Ceterae virtutes ex ipsa, velut rami à radice, confurgunt. Simon Cass. l. 14. cap.

§. VII.

Fides requirit opera.

Figure, Symbola, & Similitudines.

Ex Veteri.

Suspendi itaq; in aures. Gen. 24. 47. Inter prima, quæ Isaac Rebecca dedit in pignus amoris, fuere monilia, armillæ, & in aures. In aures quidem fidei, armilla verò bonorum operum, sunt Symbolum. Primum, & pretiosissimum monile, quod nos Deus, verus animarum nostrarum sponsus, donat, fides est; quæ sine bonis operibus mortua est. Bessius Dom. Septuag.

Da mihi liberos, alioquin moriar. Gen. 30. 1. Fides Catholica est Rachel pulchra, & clara sine errore; quæ dicit viro, scilicet vero Fideli, *da mihi &c.* Quid proderit, fratres mei, si fidem dicat, se quis habere? S. Vincentius Ferr. l. 2. D. 3. Adv.

Igneæ columna. Ex. 14. in terram Israël promissam non induxit; sed armis expugnauerunt. Ità fides duxit de Ægypto, & per desertum Mundi dirigit: opus tamen, ad introeundum cælum, illud expugnare. Stella in c. 2. Luc.

Collum tuum sicut monilia. Cant. 1. 9. Fidelis anima scilicet est, & debet esse ex bonis operibus, tanquam ex margaritis ornata. Simon. Cass. l. 8. c. 40.

Fulcite me floribus, stipate me malis. Cant. 2. 5. S. Bernardus, V. Bada, & alij Patres, per flores fidem; per poma, bona opera intelligunt: nam sicut post flores nascuntur fructus; Sic post fidem, nē sit mortua, sequi debent opera. de Ponte hic.

Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus. Cant. 7. 8. Arduum sane arborem tam proceram ascendere; sed dederis plenum, illā insensā, nec fructus ejus legere, nec nōsse. Plerique itā palmam conscendunt, ut Zachæus Sycomorum Luc. 19. 4. non ut sequeretur, nec ut audiret; sed solum, ut videret Jesum. Verum Dominus, qui non amat spectatores, sed sectatores sui, mox ait: Zachæe festinans descende q. d. ascendisti palmam; sed fructus non colligis. Non sat est, me videre; excipere nō debes domi tuæ, debes furta quadruplum restituere. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo. Cant. 2. 3. Olival. 10. Strom.

Dabo tibi poculum ex vino conditum. Cant. 8. 2. Est vinum optimum, quod est fides perfecta. -- Vinum conditum, fides bonis virtutum operibus condita. S. Bernardus l. de Pass. c. 45.

Ponetur in ea murus, & anemurale. Il. 26. 2. Murus bonorum operum; & anemurale rectæ fidei: ut duplici septa sit munimentō. Non enim sufficit, murum habere fidei, nisi ipsa fides, bonis operibus confirmetur. S. Hieronymus hic.

Ex Novo.

Et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Matth. 22. 11. S. Gregorius: non habentem vestem nuptialem explicat fidem non habentem opera charitatis.

Simile est regnum cælorum decem virginibus. Matth. 25. 1. Qui recte credunt, & iuste vivunt, assimilantur quinque prudentibus: qui autem profitentur quidem fidem Jesu, non autem preparant se bonis operibus ad salutem; reliquis quinque virginibus fatuis. S. Gregorius hom. 22. in Evangelia. Virgines sunt quivis Fideles: prudentes illi, qui habent fidem cura operibus misericordiae faruæ, qui solum fidem habent sine operibus. Itā Origenes, S. Hilarius, aquid Cornelium hic. Non in hoc confidas, quod solum lampadem habes; sed custodi illam credentem. Non in hoc solum confidas, quod credis; sed fidem ardentem conserva: ut luceat lux tua coram hominibus per bona opera. S. Cyrillus Jerof. Catech. 15.

Exierunt obviam sponsi, & sponsa. id. Per hoc, quod Virgines dicuntur accepisse lampades suas, insinuat, quod cuncti fideles, cum ad iudicium venerint, secum ferent fidem, & opera sua, quæ nomine lampadum suarum exprimentur: *opera enim illorum sequuntur illos.* Apoc. 14. 13. Et licet multorum mala sint opera, vix tamen invenitur Christianus aliquis ita perversus, quin habeat aliqua opera ex suo genere bona; licet non sint meritoria: præsertim cum ipse interior actus fidei bonus sit. In die autem iudicii obviant Christo sponso, & Ecclesie triumphanti, cum ipso de cælo venient, quæ est Sponsa Christi; vel Sponsæ Christi singulari, quæ est Virgo beatissima. Dionysius Cardinal. hic.

Accepit eum in ulnas suas. Luc. 2. 23. Ad Salvationem nostram non sufficit videre Christum per fidem; sed ipsum recipere oportet in manibus per bona opera. S. Vincent. Ferr. serm. de Purif. B. V.

Date annulum. Luc. 15. 22. Glossa S. Ambrosij: id est signaculum fidei, quod signatur promissa in cordibus Fidelium: *dat in manum,* id est, in operatione; ut per opera fides clarescat, & per fidem opera confirmetur. S. Bonaventura hic. Annulus in manu, fides est cum operibus. Nec decet conversum peccatorem, cui gratis est indultum à pigritia detineri, magis autem operari ardentius, quod sceleratius se facdavit. Simon Cass. l. 6. c. 16. *Date et annulum &c.* id est, docete eum habere fidem in opere:

opere : fides enim per se non sufficit. Hugo Carenfis hic. Mortis signum habebatur, si annulus è digitis prolapsus esset. Novarius Electa Sacra. *Fides sine operibus mortua est.*

Credidit homo sermone, quem dixit IESUS, & ibat. Joan. 4. 50. Nota: quod prius dicitur, *credidit*, & postea, *ibat*: quia prius est corde credere, post ire opere. Sic ubi de Eunuchio ajunt Acta 8. 37. *credo Filium Dei esse IESUM Christum*, mox subditur vers. 39. *Eunuchus autem ibat per viam suam gaudens.* Sylveira hic.

Ex Patribus, & aliis.

Sicut se habet esca ad corpus, ita recta vita ad fidem. Et sicut carnis nostrae natura sine alimentis durare non potest; ita neque fides sine bonis operibus. S. Chrysost. t. 6. l. de Verb. Apost.

Sicut corporis hujus vitam ex motu suo cognoscimus; ita & fidei vitam ex operibus. Sanctus Bernardus sect. 2. de Resurr. Dom.

Sicut, qui in fluvium incidit, si nec brachia movet, nec manus, nec crura; statim abripitur, & in profundum cadit: sic qui, sola fide nixus, virtutis opera reliquerit, in barathri gurgitem mergetur: qui autem manus, pedesque, illisque remorum loco, usus fuerit; & fidei conjunxerit opera charitatis; incolumis portum aeternae salutis consequetur. Dicte opera bona. *Habens fidem, & bonam conscientiam: quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* 1. Tim. 1. 19.

Fides tacita. Lem: *Sola Fides est vana fides.* Vel. *Nil juvat aspectus. Vis scire è homo, quoniam fides sine operibus mortua est.* Jacobi 2. 20. Hesius.

Testudo. Lem: *Muta fides nisi mora.*

Quid otiosam predicans fidem jactas?

Digitò quid illam nil agente demonstras,

Numerisque cunctis, nutibusque, distinctam?

Et absolutam venalitas? Fides pro se

Aliquando causam dicat, & suo tandem

Opere ipsa contestetur se esse talem.

Talem esse, nisi se dicat ipsa, non credam.

Idem.



Polyanth. Sacr. Tom. I.

§. VIII.

Super hac materia testimonia.

Ex Veteri, & Novo.

ET crediderunt viri Ninivite in Deum, & predicaverunt jejunium. Jonæ 3. 5. Non dixit: & crediderunt imminens excidium; sed *crediderunt in DEUM*, qui solum ijs innotescens, eos impulit in dura, & aspera, opera. Baeza t. 2. l. 6. cap. 5. §. 35.

Discedite in ignem aeternum. Matth. 25. 41. Nec increpat, quia in eum non crediderunt; sed quia bona opera non fecerunt. Sanctus Augustinus l. de mendacio cap. 15.

Exclamans pater pueri cum lacrymis agebat: credo Domine! adjuva incredulitatem meam. Marci 9. 23. Nonne dictum est: omnia possibilia sunt credenti? an lacrymanti? Percepit prudens homo, fidei potestatem mirabilem esse; sed de conjunctis lacrymis, & operibus. Baeza t. 2. l. 7. §. 7.

Qui crediderit. Marci 16. 16. Multi in hoc verbo damnabiliter erraverunt, solum fidei, & ablutionem baptismi, credentes sufficere ad salutem. Et in domibus accedat, atque negligentia, hospitari sunt: dicentes, ex hac sententia pro salute nihil aliud oportere: cum Christus post ista duo, credere, & baptizari, sine interpolatione verborum, dixerit, *salvus eris.* Sed non adverterunt Spiritus Sancti per Jacobum expressam sententiam: *fides sine operibus.* Simon Cassi. l. 14.

Exibant demonia clamantia. Luc. 4. 41. Dæmonia vera dicebant; sed in omnibus reprobi erant. Heu multorum Christianorum miseranda conditio! qui similes dæmoniis facti sunt: CHRISTUM confidentes, & vitam odientes; sed utinam non peiores! Nam dæmones credunt, & contremiscunt; perverfi verò saepe credunt, & non verentur. Simon Cassi. l. 5. c. 10.

Fides tua te salvam fecit. Luc. 7. 50. Quis delicatam peccatricem in sui laniam coget? sane fides divina, quæ in Deum credimus. Baeza t. 2. l. 6. c. 5. §. 29.

Quid faciendo vitam aeternam possidebo? Luc. 10. 25. Non dixit, quid credendo. Hinc 2. Petri 1. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vocationem, & electionem vestram faciatis.* Substantia sine accidentibus perit; ita fides sine operibus. Aqua frigore corrumpitur, calore absumitur. Stella hic.

Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Rom. 1. 21. *veritatem Dei in injustitia detinent.* vers. 18. Non tollunt omnem veritatem: credunt esse Deum, immortalem &c. Sed practice, colere Deum verâ pietate, non credunt, non id agunt.

Fff f

Sed

Sed quia illis facilius videtur credere Deum, quam colere; ideo, dimidiam veritatis partem retinent, reliquam captivant. Drexelius David Rex cap. 15.

Impleat (Dominus) omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute. 2. Thess. 1. 11. Quis non videat, Apostolum hic præter fidem, opus fidei requirere? Ergo dicit, quod fides nos iustificet, non sola (ut Lutherus addidit) quod absit, ut sentiret vas electionis, ait S. Augustinus lib. de gratia, & lib. arbit. c. 7. Sed sicut dicimus: hæc arbor ma aluit, scilicet cum pomis, & fructibus suis, sic medicus me sanavit, scilicet per pharmaca, diætam, exercitia à se præscripta, quibus sanatus sum. Cornelius in ep. ad Rom. Canone 3. Vide Rom. 12. 13. c. 14. v. ultimo.

Ex Patribus.

Credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit, quod Christus facere præcepit? aut quomodo perveniet ad præmium fidei, qui fidem non vult servare mandati? S. Cyprianus lib. de unit. Eccl.

Qui esse cupimus Christiani, debemus, quod Christus fecit, imitari. Tunc respondet ad fidem Christiani nominis sectatio veritatis; & credendi præmium datur; si, quod creditur, & geratur. S. Cyprianus l. de discipl. & habitu virg.

Fides semper in præcinctu castrorum spirituum obstantem adversariū coram impetit. Advocat deinde juxta latus suum exercitū bonorū operum. Preparat deinde & prudentia coneuum suum; confortat quoque fortitudo brachium suum. Justitia vallum facit, & muros subvertit. Temperantia ad dedicationem turmas congregantium cogit. Ordinantur acies virtutum; & præparantur in clypeis, & lanceis, adversus castra vitiorum. De castris virtutum ejicitur virtus, quæ præter ordinem vagatur: perdit enim virtutis nomen, quæ egreditur ordinem. Virtus igitur non est, si ordinata non est. Petrus Cellensis de panib. c. 13.

§. IX.

Fides cum amore.

Figura, & Symbola.

Gemmula carbunculi in ornamento auri. Eccl. 32. 7. Fides similis est carbunculo, cujus fulgor nec nocte vincitur, ornamentum aureum charitas, gemma carbunculi fides. Carbunculus ponitur in auro, cum fides per charitatem operatur. Geminiani Similitud. l. 2. c. 12.

Socrus Petri. Matth. 8. 14. Hæc mulier fides est, quæ cum Simone per dilectionem societatem fecit: etenim dilectio filia est fidei; & fides illa salvat, quæ per dilectionem operatur. Simon Cass. l. c. 9.

Lucerna ardentes in manibus. Luc. 12. 35. Adsit nobis lucerna, id est, fides, sed ardens charitatis. Hæc enim quid cavendum, & agendum

sit, ostendit. Ità Sanct. Augustinus s. 39. de Verb. Dom. apud Cornelium hic.

Colligite - fragmenta.

Joan. 6. 14. Cum ex quinque panibus, & duobus piscibus, quinque millia hominum Dominus saturasset, fragmenta panum, non piscium reliquæ, superfuere. Per panes intelliguntur dogmata, & mysteria fidei, solidus scilicet cibus: per pisces verò, qui quasi condimenta sunt panis, præcepta charitatis. Dogmatibus ergo saturamur quidem; sed superiunt adhuc, quæ hic plenè percipere nequimus. At ijs, quæ de charitate præcipiuntur, nunquam saturari possumus, nedum ut queant superesse. Nunquam enim tantum quis amat, quantum illi est amandum. Non decuit ergo, ut pisces superessent; quos omnes comedere jubemur, cum præcipitur, ut ex toto corde, totà mente, totà animà, omnibus viribus, diligamus Deum. At panum esus integer, hoc est, dogmatum curiosior investigatio, etiam prohibetur. Ilidorus Clarius l. 1. or. 47.

Si quis sit, veniat ad me. Joan. 7. 37. Nemo excipitur; sed cuilibet sitienti spirituale bonum monstrat fons, monstratur ire ad fontem. Dicendo, *veniat*, voluntarium ire significat. *& bibat.* Non sufficit ire ad fontem; sed oportet bibere: non sufficit venire ad JESUM fide; sed oportet incorporare sibi JESUM haustu amoris. Cajetanus hic.

Aurum ignitum. Apoc. 3. 18. Hoc aurum, nempe fidei, debet esse ignitum per charitatem, probatum per tribulationem. Et hoc aurum emittit pretiò desiderij, & bonorum operum exercitiū. Richardus à S. Laur. l. 11. de laud. MARIE.

Fides assimilatur amygdalo: quia omnibus arboribus prior se floribus vestit. Sic fides debet in corde hominis ante omnes virtutes florere. Nam fides est dispositio ad charitatem, & alias virtutes. Unde, sicut flos est dispositio ad fructum, ita actus fidei ad actus charitatis, & aliarum virtutum. Joannes Geminiani similitud. l. 2. c. 24.

Ala. Lem: *Non sufficit una. Fides sine operibus mortua.* Jacobi 2. 20. Picinelli.

Genius ludens testudine. Lem: *Amor fidem facit eloquentem. Fides charitatem operatur.* Gal. 5. 6.

Fides amore destituta, sit muta; Fides amore provocata, sit grata Deo, atque celo; quemq. terra miretur.

Negotiosum lata prodit in cantum; Nec plus amoris, quam laboris assumit. Laboriosam diligis fidem? casti Amoris unò sac regatur impulsu.

Hefius.

Genius

Genius intendens arcum sine sagittâ. Lem: *Sine amore fides nil proficit. Si habuerim omnem fidem - charitatem autem non habuerim, nihil sum.* 1. Cor. 13. 2.

*Frustrâ tenditur arcus, incitato
Frustrâ tensa Fides laborat arcu;
Si non ulla super tibi sagitta est;
Quâ cælum ferias, Deumq; vincas.
Arcus est animus, Fidesq; nervus,
Telum rectus amor. Fidem remitte,
Vel summam jaculator adde telum.*

Idem.

§. X.

Prædicta confirmantur

Ex Novo.

Non potuisti unâ horâ vigilare? Marci 14. 37. Si Deus non dedisset potentiam, negligentiam non increpâisset. Multam potentiam accepimus, si credentes in CHRISTO DEI filij facti sumus. Quare igitur cum CHRISTO non vigilat Petrus? quare cum Christo non vigilat Christianus? Huic interrogationi nulla vera responsio dabitur, si suffugium exultationis inquiratur. Certum est, Deum nobis dedisse omnem sufficientiam ad virtutis actus, quos exigit. Sed quod non vigilamus, diminutio est fidei, & defectus amoris: nam *charitas omnia sustinet.* 1. Cor. 13. 7. quâ deficiente, defecere virtutum exacti, & debiti actus. Simon Cass. l. 13. c. 13.

Fides tua te salvam fecit. Luc. 7. 50. Non dicit absolute fides, nè videatur salutem tribuere uni fidei; sed *fides tua*: id est, fides sic operans per dilectionem, sic cor immutans debita poenitentia ad imbres usque lacrymarum. Fides tua, talis, ac tanta, ô Magdalena, te salvam fecit. Diez Fides.

Omnis, qui credit in eum. Joan. 3. 16. Significanter dicitur *in eum*: ad differentiam credentium ipsum, sed non in ipsum. Qui enim credunt, & factis negant; credunt quidem ipsum, sed non in ipsum. Qui autem fide, quâ per dilectionem operatur, credunt; ita credunt, quod credendo tendunt in ipsum. Cajetan hic. Aliud est credere illi, aliud credere illum, aliud credere in illum. Credere illi, est credere, vera esse, quâ loquitur. Credere illum; credere, quod ipse sit Deus. Credere in illum, est diligere illum. Credere, vera esse, quâ loquitur; multi, & mali, possunt: credunt enim esse vera, & nolunt ea facere; quia ad operandum pigri sunt. Credere autem, ipsum esse Deum, hoc & dæmones potuerunt. Credere verò in Deum, soli novère, qui diligunt Deum; qui non solo nomine sunt Christiani, sed & factis, & vitâ. V. Beda in c. 1. ep. Sancti Jacobi.

Polyanth. Sacr. Tom. I.

Novi opera tua, & fidem, & charitatem Apoc. 2. 19. Nescit utramque, fidem, ut principium salutis; charitatem, quâ fides vivificatur. Sylveira hic.

Ex Patribus.

Fide titubante, charitas etiam languescit: nam si à fide quisquam ceciderit, à charitate etiam necesse est, cadat: non enim potest diligere, quod esse non credit. S. Augustinus l. 1. de doctr. Christi. c. 37.

Charitas robor fidei, fides fortitudo est charitatis. Et tunc verum nomen, ac verus est fructus ambarum, cum insolubilis utriusque manet connexio. Sancti. Leo l. 7. de Quadrag.

Quod si quis amore in Deum accendatur; non sustinet postea ad corporales res oculos intendere; sed alios oculos possidens, oculos, inquam, fidei: illa speculatur semper, & ad illa habet mentem intentam. Sancti. Chrysost. hom. 28. in Gen.

Sicut corporis hujus vitam ex motu suo dignoscimus; ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem Corporis est anima, per quam movetur, & sentit; vita verò fidei charitas est, quâ per illam operatur. S. Bernardus l. 2. in die Paschæ.

Fides fervore charitatis animatur ad vitam. Pigra planè, ubi discrimen impendit, si non confessionis sibi vendicent libertatem beneficiò dilectionis. Gilbertus l. 13. in Cant.

Quemadmodum nutrimentum ignis, oleum, & ligna, sunt; ita amoris argumentum clara est cognitio veritatis. Impellitur affectus veritate, quâ cognitivæ virtutis inhabitat sedem. Sancti. Laurentius Just. de triumph. ag. cap. 13.

Prius venit in carnem, miracula edidit, & Divinitatis opera præmonstravit insignia: deinde Paracletum misit; quatenus ascendendi ad dilectionem jure servatò, antè erudiretur ad fidem, demum intelligendo, qui deberet meritò diligere, amoris ureretur incendiò. Idem l. de vita solit. c. 17.

§. XI.

Fides cum spe.

Sanguis fidei est spes, in qua continetur, quemadmodum fides ab anima. Cum autem spes expiraverit, perinde ac si sanguis effluerit, vitalis fidei facultas dissolvitur. Clemens Alex. l. 1. pæd. c. 6.

Fides spei substantia est. S. Zeno Veron. l. de fide, spe, & char.

Corpus, quibus se promovet, habet tria, scilicet caput, manus, & pedes. Caput notat divinam charitatem: Sicut enim in capite sunt omnes quinque sensus; sic in divina charitate dulciter sapit animæ, quidquid dicitur, & auditur, & videtur, de Deo. Manus animæ sunt fides: sicut enim in manu plures sunt digiti; Sic sunt in fide

Fff f 2

multi

multi articuli, quamvis sit una fides. Pedes animæ spes; per hanc enim anima procedit ad DEUM. Revel. Sanct. Briggæ l. 4. c. 115. V. C.

Genius ante fores oclusas canens fidibus. Lem: *Ex fide vivit.* Rom. 1. 17. *Credere oportet ascendentem ad DEUM, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Hebr. 11. 6.

§. XII.

Fides gaudet, & crescit ad-versis.

Minimum est omnibus seminibus. Math. 13. 31. Sicut granum sinapis primâ fronte speciei sui est parvum, vile, despectum; non sapore præstans, non odorem circumferens, non indicans suavitatem; at ubi teri coeperit, statim odorem suum acrimoniam exhibet, cibum flammæ saporis exhalat, & tantò fervoris calore succenditur; ut mirum sit, in tam frivolis granis tantum ignem fuisse conclusum. Ita & fides Christiana primâ fronte videtur esse parva, vilis, ac tenuis; non potentiam suam ostendens, non superbiam præferens, non gratiam subministrans; at ubi diversis tentationibus teri coeperit, statim vigorem suum prodit, acrimoniam indicat, calorem Dominice credulitatis aspirat; & tantò Divinæ ignis ardore jactatur, ut & ipsa ferveat, & participantem sibi ardere compellat. Sanctus Ambrosius f. de grano sinapis.

Fides grano sinapis comparatur; quod quanto magis atteritur, tantò magis ejus fortitudo sentitur. Sanct. Thomas in ep. 1. Cor. Lect. 1.

Nunquid pro pise &c. Luc. 11. 11. Piscis bonus, pia est fides. Vivit inter fluctus; nec frangitur, nec solvitur fluctibus. Sanctus Augustinus f. 29. de Verb. Dom.

Quia traditam nobis Divinitatis disciplinam pax longa corruperat; jacentem fidem, & pene dixerim dormientem, censura cœlestis erexit. Sanctus Cyprianus l. de lapsis.

Citò fides inexercitata languescit, & crebris otiosa tentatur incommodis. Sanct. Ambrosius in Psalm. 118.

Fides altius attractæ generosius sonant. Lem: *Via ipsa tortura fidem facit animosam.* *Exultabitis modicum nunc, si oportet contristari in variis tentationibus; ut probatio vestra fidei inveniat in laudem, & gloriam, & honorem, in revelatione Jesu Christi.* 1. Petri 1. 6. 7.

Fides vel ipsis excitata tormentis, Magis alta, magis est clara, quò magis tensa,

Quò tortura magis est. Muta languet, & nulli

Audita serpit, siqua ferre torquentem Fides recusat.

Hefius.

Vide tit: Ecclesia. Persecutiones.

§. XIII.

Fidei tepida, & defectuosa, damna.

Ipsè verò dormiebat. Math. 8. 24. Periclitatur navigium in stagno, & dormiebat IESUS. Navigamus in hac vita, quasi per quoddam stagnum; & ventus est, & procellæ, non desunt tentationum. Unde hoc fit? nisi quia dormit in te IESUS. Si non in te dormiret, tranquillitatem haberet intrinsecus. Quid est autem, quod in te dicitur dormire IESUS? nisi quia fides tua, quæ est de IESU, sopita est in corde tuo. S. Augustinus f. 221. de temp. Navis tua, cor tuum; IESUS in navi, fides in corde. Si meministi, fidei tuæ, non fluctuat cor tuum: Si oblitus es fidem tuam, dormit CHRISTUS; observa naufragium. Idem Conc. 1. de prima parte Psalmi. 34.


Utinam frigidus esses, aut calidus &c. Apoc. 3. 15. Utinam, aut calorem, aut fidem haberes bonorum Christianorum; aut certe frigus, & ignorantiam paganorum. Aut enim fides calida te Deo insinuat; aut certe ad præsens adhuc legis ignorantia aliquatenus excusaret. Nunc autem, quia Christum jam agnovisti; & negligis, quem agnovisti; qui susceptus es quasi intra os Dei per fidei agnitionem, proiciaris per teporem. Salvianus de Provid. Dei l. 4.

Fidei nostræ prævaricatores sumus; simulata, ficta, fucata, videntur esse, quæ dicimus. Nihil prodest, verbis præferre virtutem, factis destruere veritatem. Sanct. Cyprianus l. de mortalit.

Sicut in corpore quinque Corporis sensus sunt; ita in anima sunt quinque sensus spirituales. Visus est fides; auditus obedientia; gustus amor; olfactus spes; tactus patientia. Anima in peccato jacentis hos omnes sensus ligatos habet: ita enim credit, ac si non, crederet; ita sperat, ac si non speraret, absque obedientia, patientia, & amore. S. Bernardus f. de quinque sensib. Apud Diez Conc. 1. in Comm. Virg. Non sunt omnia verba S. Bernardi.

Christianus malus, dum secundum Evangelij doctrinam non vivit, etiam ipsam fidem, quam verbò colit, obortâ tentatione facile perdit.

S. Isidorus l. 2. c. 1.



Titu.